



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

IV. Differentia

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

Simplex, aut est nomen proprium, ut *Augustus*: vel appellativum, κατ' ἐξοχὴν Synecdochicam, ut, *Apostolus pro Paulo*.

Conjuncta Individui appellatio, vel est δεικτικὴ demonstrativa, ut: *hic homo, hic asinus*. Dicitur aliàs, Individuum signatum: vel περιγραφικὴ circumscriptiva.

Et hæc vel communis est, ut *quidam homo*, (Dicitur aliàs, Individuum vagum) vel propria, ut *Troiani belli scriptor, pro Homero*.

Eius sunt hi

CANONES.

I. Individuum primariò non consideratur in disciplinis.

[Singularia enim non sunt cure arti: non cadunt sub artem: quia caduca & mutabilia. Ars verò tractat universalia, constantia, uno eodemq; modo se habentia. Secundariò verò per consequentiam quandam in arte tractari possunt.]

II. Individui est existentia.

[Omne enim, juxta regulam Boëthii, quod est (existit) eo ipso quod est (existit) singulare est: hoc est, quacunque res in natura verè & positivè est quiddam extra intellectiōnem, est singularis per se. Res autem extra intellectiōnem sunt, hic homo, hic servus, hic equus. Melancht. lib. 1. Dial.]

III. Individuum est incommunicabile.

[Intellige attributivè. Nam ut causa potest unum singulare communicare alii vitam, mores, disciplinam & alia.]

IV. DIFFERENTIA

Est, quæ cum genere constituit

certam speciem, & de specie prædicatur in quæstione Quale sit, ut, *rationale cum animali constituit certam speciem, videlicet hominem, & ostendit qualis sit species.*
Τὸ λογικὸν ἐργὸν seu rationale est differentia hominis: anima sentiens, animalis.

Estque duplex: vel generalis, quæ multis speciebus convenit: Dicitur Græcè *γενεακή*, ut, *sentiens.*

[*Τὸ αἰσθητικὸν sentiendi facultas, est differentia, per quam homo distinguitur à plantis, sed non adæquatè & proxima, quia etiam competit brutis.*]

Ab aliis dicitur *Differentia remota:*

Vel specifica seu ultima, quæ uni tantum speciei convenit:

Ut, *τὸ λογικὸν Rationale, quod uni, & soli homini competit.*

Ab aliis dicitur, *Differentia propinqua.*

Ejus sunt hi

CANONES.

I. Differentia genus distinguit (unde dicitur *διαγενική*) & speciem constituit (unde dicitur *συαλική*), ut, *rationale & hominem ab aliis animalibus distinguit, & simul hominis essentiam constituit.*

II. Differentia toti speciei semper inlit.

III. Differentia non pateat extra genus.

Itaq, *vivere non est differentia hominis vel animalis, cum & planta vivant.*

IV. Differentia non trajiciatur de genere in genus. *Brutum & obtusum sunt differentia figurarum Geometricarum.* Ἀλόγως igitur transferuntur ad sapes vel sonos.

V. PROPRIUM

Est inclinatio, aut quiddam adjacens, quod uni, soli speciei, semper, & omnibus individuis ejus inest.

Sic incedere erecto corpore, loqui, numerare, ridere, est proprium hominis: Latrare canum, mugire boum, &c.

[Sed de potentia hoc intelligatur, non de actu. Nam infantes non incedunt erecti, non numerant, non loquuntur, Actusc. potentiam tamen istam habent, ut possint aliquando incedere, loqui, numerare, &c.]

Modi Proprii sunt quatuor:

I. Proprium est, quod uni speciei tantum convenit, sed non omnibus individuis. *Ut, fieri heroicum bellatorem competit soli homini, sed non omnibus individuis contingit.*

II. Quod omnibus individuis convenit, sed non soli speciei: ut esse bipedem, omnibus hominibus convenit, sed non soli.

III. Quod soli speciei & omnibus individuis convenit, sed non semper: ut, canescere competit soli homini, at non semper omnibus individuis.

IV. Quod uni soli speciei & omnibus ejus
indi-